

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0125
	0123
	0129
	0119
	0134
	0114
	0174
	0074
	0224
	0024
	0624
	Ende
	Anfang
114	
<p>in Jerusalēm, et ideo solent domini aliquotiens per recreatiōnem ascendere et in ecclesia fratrum, quae semper est frigidior, discumbere, ad quorum adventum fratres sternunt tapetias super pavimentum et cussinos sive pulvinaria super tapetias ponunt, et domini desuper (224 A) discumbunt ponentes cubitos super cussinos, non enim in terris illis consuetudo est sedere super scamna, aut super sellas vel cathedras, sed cuncti discumbunt super terram, et si sunt magni et divites, sternuntur eis tapetiae. Eis ergo sedentibus fratres appor̄taverunt eis collationem in una stannea lance, paximatos confessos speciebus, et de panibus eorum, et lebetum et fructus, botros, amygdalas et melunas, et aquam recentem pro potu, quia vinum non bibunt. Ex his cum jucunditate domini illi manducaverunt, quibus fratres Minores et nos peregrini astitimus et servivimus, et famuli eorum sarraceni nobiscum circumstabant. Interrogaverunt vero nos de multis per interpretē, et responsa nostra cum admiratione audierunt, et seriose conferebant ad invicem de auditis. Erant enim viri maturi, senes, barbati et experti, principales rectores civitatis sanctae et homines personati.</p> <p>Porro Pater Gardianus die praecedenti miserat duos fratres de monte Syon in Bethlehem, quos quidam Sarracenus invaserat in via eosque percussionibus non paucis laeserat usque ad sanguinis effusionem. Illum Sarracenum accusavit pater Gardianus dominis illis, qui promiserunt ei, quod eum vellent punire, eumque taliter tractare, quod amplius nullum Christianum turbaret. Post querimonias Patris Gardiani accessimus nos peregrini et conquerebamur de illo Sarraceno, qui noluit nos in ecclesiam Ascensionis Domini intromittere, ut patet sub XXVII. die, et petivimus, quatenus indulgerent nobis, libere loca sancta visitare. Responderunt: quod nihil deberemus illi dare, qui ostium ecclesiae Ascensionis Domini observat, nec amplius esset aliquid a nobis postulaturus. De libera autem locorum sanctorum visitatione dixerunt: habeatis, inquit, liberam voluntatem eundi, quocumque placuerit, suademus tamen, ut semper aliquem Sarracenum vobiscum habeatis ambulantes, ne juvenes insolentes, quos arcere non possumus, vos molestent. Et ita transivit illa dies, in qua tam</p>	